

ta confusiones: si nemo sciret temporum discrimina, & annorum seriem, atq; per aetates mundi continuationem. Quare si prater hunc usum, tabulae istae alium non praestarent: is profecto satis esset, ad harum dignitatem confirmandam atq; illustrandam. Quod verò προγνωστικῶν δὲ ἀστρονομίας nominant veteres, id institui & perfici sine canonum horum adminiculo nequaquam potest. Hinc enim ad quodlibet temporis momentum, caeli extremi, & signorum ac stellarum in hoc situs, numerorum beneficio elicitor: hinc τῶν ἀφ᾽ ἑσπερινῆς καὶ περιπάτων modus petitur: & alia colliguntur, quae ad definienda τῶν ἀποτελεσμάτων mathematicorum tempora sunt necessaria. In quo doctrinae genere etsi multa à Chaldeis admixta sunt, non absurda solum, & à Physicis rationibus aliena, sed profana etiam atq; impia: tamen ideo uniuersa illa doctrina reijci non debet, cum pars sit vera ac erudita Physica, quae suum locum in Philosophia merito obtinet, si intra limites maneat τῶ δυνάτῶς καὶ χρησίμῶς, hoc est, si ea praesignificet, quae sciri è causarum naturalium serie possunt, & quorum praesensio cum utilitate quadam in vita hominis est coniuncta. Quamobrem quoniam in mathematicum studio versantibus, horum Canonum usus ad multa inuenienda & constituenda summè est necessarius: laudandum est consilium viri prudentis & integerrimi SAMVELIS SELEFISCHII, qui suis impensis illas denuò excudi, & in publicum dari voluit, ne hac etiam

iam